



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Collegiis Canonicorum Per Germaniam, Belgivm, Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasque Orbis Christiani Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt XXIV. S. Odæ Collegivm Amaniense, ad Mosam Fluvium apud Huium  
opidum ditionis Leodiensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**

vxorq̄ue eius, in matrimonio claruerunt. Migravit autem Virgo ad Christum nonaginta annorum circulo ferè transacto, non minùs religione, quàm senectute venerabilis. Cuius corpus ad S. Bauonis Ecclesiam *Agilfridus*, Episcopus Leodiensis, idemq̄ue à Stephano Papa Abbas S. Bauonis Gandensis creatus, Roma veniens, ex Lotharingia attulit anno 754. Sed non multò post propter incursiones Normannorum, cœnobium Gandense cum sacris corporibus Bauonis & Pharaïldis in Galliam fugit. Quæ corpora tandem, cessante persecutione ex Lauduno & Nigella relata sunt ad Ecclesiam noui Castelli Comitis, ad ripam Lizæ, in fisco Gandensis cœnobij sitam. Collegium porrò Canonorum, quod hactenus sedem habuit in Basilica Castello veteri Comitis opposita, inde anno 1614. trāsijt ad Basilicam ampliolem S. Nicolai Parochialem, in foro Gandensi sitam, procurate Leone Meyero illius collegij Præposito.

## CAPVT XXIV.

S. ODAE COLLEGIUM AMANIENSE,  
*se, ad Mosam Fluuium apud Huium opidum  
ditionis Leodiensis.*

**S** Odam, Boggi, seu Boggis Aquitanorū Ducis filiam anno 711. in Gallia floruisse scribit S. Gebertus Chronographus Cameracensis. Amita fuit S. *Huberti* Episcopi,  
D 5 quæ

quæ post mortem mariti sui *Boggi* dote contenta, Deo seruire fategit & pauperibus. Sacerdotes & sacros Ecclesiæ ministros in Domino dilexit, Ex suis bonis Ecclesias fundauit, maximè *Amaniensem*, in qua & quiescit. Ab ea quoque multa prædia habet Leodiensis Ecclesia Sancti Lamberti, sub quo Præsule floruit. Transtulit autem reliquias & è terra leuauit *Sanctus Floribertus*, Sancti Huberti in Episcopatu successor, VII. Idus Iulij. Quiescit *Amaniæ* in collegiata S. Georgij, sui que nominis Ecclesia, vno milliari ab Huyo.

## CAPVT XXV.

## CACZESIENSE COLLEGIVM

*Canonissarum in Germania.*

**C**Oxiense, Caziense, vel Caczesiense illustrium nobiliumque Virginum ab omni professione ac voto liberarum (quas vulgò Canonissas vocant, quibus item liberum est nubere) amplissimum in *Tumiliafca* superioris Rhetiaë tractu ad *Rhenum* collegium: fundatum est pro 12. nobilibus puellis, earumque gubernatrice Abbatissa, in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli, anno gratiæ per Christum reparatæ Septingentesimo sexagesimo à Victore XV. Episcopo Curiensis Ecclesiæ. Fundator in choro huius templi quiescit, cuius tumulo talis est superaddita inscriptio: *Victor Episcopus Curiensis vnà cum matre sua*